





9298



Rep. XXXVI.

3. no. 90.



4.

*Divinâ favente gratia*

COLLEGII POLITICI

# DISPUTATIO TERTIA

*Tum Reipublicæ naturam, tum ejus species exhibens,*

Sub Præsidio

CHRISTOPHORI PREIBISII

Sprottâ-Silesii, Philosophiæ & U. J. Doctoris  
ac Professoris Publici

*Proposita*

Ad diem 16. Augusti

*In celeberrima Academia Lipsiensi*

à

MICHAELE VVIEDER Elbingensi Borusso.



Lipsiæ,

*Excudebat FRIDERICUS Lanckisch.*

ANNO M. DC. XVII.





Reverendo, Nobilissimo,

& Clarissimo Viro,

*Dn. DANIELI Mikolajewsky, Majoris  
& Minoris Poloniae Superintendenti ac Seniori  
Vigilantissimo.*

Spectabili ac Prudentissimo Viro,

*Dn. MICHAELI Wieder | Judiciorum  
Publicorum in florentissima Repub. Dantiscana Assessori Spe-  
ctatissimo, ac Dignissimo, Patrueli,*

NEC NON

Spectatissimis & Honoratissimis Viris,

*Dn. MARTINO Wieder | inclutae Reip.  
Dantiscanae Civi ac Mercatori Primario,  
fratri,*

*Dn. BALTHASARI Schulz Mercatori ac  
Civi Glogoviensi.*

*Dominis, Fautoribus, Promotoribus, ac amicis,  
omni observantiae & amoris cultu prosequendis;*


*Hanc suam Politicam συζήτησιν eâ, quâ par  
est, reverentiâ dicat*

*offert*

*consecrat*

*Michael Martini F. Wieder  
Elbingsis.*





Σὺν Θεῷ.

I.



*Politicae tres constituimus partes principales: finem, subjectum & media ad finem in subiecto acquirendum idonea & accommodata.*

*Politicae explicatus est, tum*

II. *Est namque Politica ex numero Disciplinarum Practicarum, quae resolutivo con-*

*scribenda ordine.*

III. *Finem, qui est felicitas civitatis, nec non subjectum, quod civitas, prioribus disputationibus explicavimus.*

*Finis externus tum subjectum:*

IV. *Jam ad mediolorum declarationem esset perveniendum:*

V. *Verum, cum finis Politica sit geminus, externus & internus: internus, qui anima civitatis est, Respublica videlicet, prius cognoscendus, quam mediolorum expositio subsequatur.*

*Sequitur finis internus.*

VI. *De Republica itaque, quae vita civitatis, tum in genere, tum in specie hac disputatione sumus acturi.*

### DE PRIORE.

I. *Vocabulum πολιτείας Græcum duobus modis accipitur: primò pro quavis forma civilis gubernationis: deinde pro certâ quadam ejus specie, quae ex aliis mixta & temperata.*

*1. acceptio vocis Politiae.*

II. *Definitur à Philosopho quòd sit τῆς πόλεως τῶν ἄλλων ἀρχῶν, ἢ μάλιτα τῆς κυρίας πάντων, ordo civitatis & Magistratum, maximè verò ejus Magistratus, qui est omnium principus.*

*2. definitio, cujus*

III. *Genus est ἡ τῆς πόλεως ὄρδος, quòd per Politiam Cives in ordinem coguntur: quòd aliàs multitudo sine ordine confusio-*

*Genus.*



nes parit & felici vita adversatur.

IV. Est q̄ ordo nil aliud, quàm legitima civitatis in ordine consistentis constitutio.

V. Perperam itaq; faciunt ij, qui Reipublicæ genus cœtum & multitudinem ponunt. Est enim multitudo civitatis propria, cui per Rempublicam forma ingeneranda.

Subjectum. VI. Subjectum est civitas, hoc est, ij qui in civitate vivunt, uti quilibet certum locum & officium habeat, ubi Magistratus præ cæteris, in primis ejus, qui summus, ratio habenda.

VII. Ordo namq; ad primum, à quo cætera dependent, referendus.

VIII. Tale in Republica est summa potestas, cætera omnia sibi subordinans.

IX. Id verò quo summa potestas in regimine Civitatis utitur, sunt Magistratus; horum namq; opera necessaria, quòd magna negotia magnis egent adiutoribus.

ubi de es-  
sentia opi-  
nio falsa  
Prior,

X. Et quia non una Reipub. forma, dispiciendum, in quo Reipub. essentia consistat.

XI. Nonnulli à divitiis & paupertate Respublicas distinguunt in Aristocraticam & Democraticam, quòd Reipubl. postmodum accidat, ut qui ad imperij gubernacula sedent, sint multi vel pauci.

quæ refuta-  
tur

XII. Verùm opes ad diversas Reipub. formas constituendas non facere probatur, quòd Democratica fuit Respublica Romanorum, cum ferreis adhuc præ inopiâ uterentur annulis, atq; tum cum devict à Carthagine magna vis luxus Asiatici in urbem migravit.

XIII. Sic prædicatur pauper Rhagusia, cujus imperium ferè muris terminatur, quæ nihilominus Aristocratico gaudet statu, non secus ac Veneti maximis divitiis abundantes.

XIV. Et si paupertas & divitiæ Reip. varietatem efficerent, idem de aliis rebus ad Rempublicam pertinentibus concedendū esset:



esset: puta aliam esse Reipublicæ formam, quando prudentes:  
aliam, quando imprudentes summâ fulgent potestate.

XV. Nec una & eadem Respublica maneret, puta quòd  
Respublica Persica monarchica subinde fuisset mutata: cum  
Cyrus illud per virtutem, Cambyses jure successionis, Darius  
sorte, Xerxes jure hereditatis obtinuerit. Idem de Impera-  
toribus liqueret Romanis.

XVI. Sic Æthiopes maximum, Gothi pinguisimum, Indi  
pulcherimum elegerunt Regem: quæ tamen Respublicæ fue-  
runt Regiæ & monarchicæ à se non differentes.

XVII. Et quis à paupertate & divitiis Rerumpublicarum  
diversitatē petiturus, cum sint bona duntaxat externa, quæ  
Stoici & Platonici in numero bonorum non retulerunt?

XVIII. Sed & unius, paucorum & omnium imperium  
specie hoc modo non different, quod paupertas tanquam popula-  
ris status constitutiva & in monarcha & optimatibus reperiri  
solet.

XIX. Sic Emathion angustiis inclusus pagis non minus Rex  
erat, quàm Alexander Magnus, qui videbatur sibi totum de-  
bellasse orbem.

XX. Sic Polipidas & Epaminondas pauperes cum sui si-  
milibus Aristocratiam Thebanorum regebant.

XXI. Sic Respublica popularis divitiis affluere potest:  
nec tamen ideò à priori diversa est.

XXII. Nonnulli à bonitate vel vitio Rerumpublicarum  
sumunt divisionem. Hinc Rempublicam dividunt in  
popularem, optimatum & paucorum statum.

XXIII. Verùm hi confundunt veras & bonas cum prola-  
psis & vitiosis, cum tamen Reipublicæ essentia prior sit & ab iis  
abstracta.

XXIV. Uti namq; legum nomen merentur, non tantum-  
modo, quæ justæ sunt sed & injustæ, qualis illa, quam Flaccus



de Sylla tulit, ut omnia, quaecumque ille fecisset, essent rata: ita corpus ipsum Reip. ab accidentibus, quae qualem quidem, hoc est, vel bonam vel malam faciunt, cujus tamen essentiam non constituunt, omnino separandum.

XXV. Sed qui communia quae sunt, distinctionem allatura sunt?

XXVI. Hinc aliis rebus omnibus, quae ad Reipublice quamvis speciem accedere possunt, rejectis, distinctionem ejus à numero Rempublicam administrantium, petendam censemus.

Sententia  
vera

XXVII. Hinc Cicero rectè inquit, se à Platone & Philosophis didicisse, Respublicas tum à principibus teneri, tum à populis, aliquando à singulis: vel secundum Tacitum cunctas nationes & urbes populus aut primores, aut singuli regunt.

3. divisio in  
species,  
μοναρχί-  
αν, ὀλιγ-  
αρχίαν &  
πολυαρχί-  
αν,

XXVIII. Est itaque Imperium vel Respublica monarchica, est paucorum ὀλιγαρχία, est omnium vel plurimorum, πολυαρχία vel democratia: hoc est vel unus, vel minor, vel major pars civium summa praest potestati.

XXIX. Verum æquivocatio est in Graecis vocabulis: quod Oligarchia ut plurimum pro corrupto, Aristocratia opposito, & Democratia itidem pro labe politiam respiciente statu accipitur.

XXX. In singulis speciebus maxima latitudo & diversitas occurrit: quod ibidem datur aliquod primum, perfectè & probè constitutum, à quo cetera vel propius vel longius abeunt, & defectum quendam important

XXXI. Hinc Monarchia de Regno, Dominatu & Tyrannide dicitur, primum tamè de Regno, deindè de dominatu, tertio deniq. loco de Tyrannide: quod tyrannis à Regno abest quam longissimè.

XXXII. Sic & Amicitia primum dicitur de honestà, secundario de utili, ac jucunda.

Dispici-



XXXIII. Dispiciendum itaq, in quo consistat optima Res- quarum fi-  
nis publica  
utilitas,  
cujus  
publica, ad quod omnes species regulanda & examinanda.

XXXIV. Est illud cura salutis & boni publici: vel juxta  
Ciceronem salus populi suprema lex est.

XXXV. Nam quia potestas refertur ad totam Rempu- tum ratio  
blicam sibi subjectam, ejus virtus ex cura, quam gerit in regen-  
da Republica, aestimanda est: tum autem bene administratur  
Respublica, quando totius cura & non unius vel paucorum  
habetur.

XXXVI. Hinc Reges ab Homero ποιμένες λαῶν, Pastores  
populorum vocantur: quod pastoris est, in omnibus prospicere  
utilitati gregis. Cogitet illud Senecæ, non suam esse Rempubli-  
cam, sed se Reipublicæ.

XXXVII. Et si, ut quisq, maximè ad suum commodum  
refert, quacumq, agit, ita minimè vir bonus est, quanto magis  
pro salute publica laborandum illi, quem Respublica in eum  
usum sibi prafecit, ut ejus prudentia & virtute salva sit.

XXXVIII. Ejus mentis fuit Julianus, Rempublicam tanto- tum exēpla  
perè caram habens, ut per eam, ita Respublica salva sit, ita  
quassatum recreem orbem Romanum, juraret.

XXXIX. In Trajano Plinius Secundus ideam boni Principis  
absolvisse videtur, alij, inquit, se superstites Reipublicæ opta-  
bant, faciebantq, tibi salus tua invisita est, si non sit cum sa-  
lute Reipublicæ conjuncta, nihil pro te pariter optari, nisi expe-  
diat optimatibus, omnibusq, annis de te in consilium mittis,  
exigisq, ut sententiam suam mutent, si talis esse desieris, qualis  
electus es.

XL. Idem indicat finis, quo dicti homines naturā Rempu-  
blicam appetunt, ut videlicet bene ac beatè, quantum fieri  
potest, vivant.

Perfecta



XL. Perfecta itaq; tūm Respublica censenda, quando finem, ad quem destinata, fuerit affecuta.

XLI. Verūm, ubi omnia trahuntur ad commoda privata, cives benè non vivunt, quòd tūm demūm arbitrantur se felices esse, si eorum salus universa procuretur.

## DE POSTERIORE.

### MEMBRUM PRIMUM.

I. Distinguit Philosophus Respublicas in legitimas & aberrantes sive παρρησιαστικὰς: quòd illæ secundum naturam, hæc verò præter illam sunt. Ad legitimas refertur Regnum, Aristocratia, & Politia; ad aberrantes Tyrannis, Oligarchia, & Democratia.

Prima species  
Regnum  
est, cujus

II. Ac à Regno meritò fit initium: quòd simplicissima est & cæterarum mater, origine prima: quòd natura Regem commendat, uti ex nonnullis animalibus, Apibus præsertim licet cognoscere.

Gradus  
quinq; Pri-  
mus regnū  
Laconicum.

III. Regni quinq; à Philosopho enumerantur diversitates.

IV. Primus modus vocatur secundum leges, quando monarcha legibus subiectus est, uti Reges Lacedæmoniorum, singulis mensibus jurare solebant, se secundum leges imperaturos.

V. Est ἡ ἐστρατηγία τις νόμιμος, αὐτοκρατορῶν αἰδίη καὶ γέννησις, imperium militare, legitimum, perpetuum & hereditarium, quale Laconibus usitatum, hinc Laconicum dictum. Prætura militaris apud Romanos ferè illi respondebat.

VI. Sed Reges Lacedæmoniorum quis facile dixerit Reges, cum potestatem nullam regiam habeant, sed ex legum præscripto omnia agere cogantur?

Secundus  
ἢ αἰσχυρῆσις.

VII. Alter modus dicitur ἢ αἰσχυρῆσις, imperium propè tyrannicum, per suffragia ad aliquem delatum, cum magistratus

tus



tus cum summa potestate creatur extra ordinem: veluti Pit-  
taco Mytilenei summam rerum concedebant ad compescendas  
urbes exulum.

VIII. Imaginem talium referunt Dictatores Romanorum,  
qui sine provocatione cum summo imperio creabantur, sed ad se-  
mestrem tempus tantum, ne in dominatum abiret. Hinc Sylla  
ex dictatura tyrannidem fecit: idem etiam de dictatura Cæ-  
sarum, quod ultra terminum prorogaretur iudicatum.

IX. Tertius modus est Dominatus, vel Regnum barbari-  
cum, quod ἀρχὴ δεσποτικὴ ἐκ γένους καὶ τῆς νόμου, imperium  
quoddam herile, hereditarium & legitimum. tertius  
Dominatus.

X. Dominatus dicitur isthac species Regni, ad imitationem  
domini, quo Paterfamilias utitur in servos: quod hic liber-  
tatis & fortunarum omnium Dominus jure belli factus aut fœ-  
dere subditos, quasi Paterfamilias servos moderatur.

XI. Differt verò dominus à Rege & Principe vel ipsius Ari-  
stotelis Philosophi iudicio, qui Alexandrum Magnum ad-  
monere solitus, ut Græcos paterna pietate, Barbaros dominã-  
di majestate in officio contineret. cujus à  
Regno tum  
differentia

XII. Locum habet dominatus apud illos, qui natura servi-  
lis ingenij sunt: cum enim ignorent præstantiam libertatis, hac  
ratione sunt regendi.

XIII. Talis olim erat Rex Persarum, qui omnes, uxore  
exceptâ, pro servis habebat: hinc fastus ille persicus, quod  
se subditis vix conspiciendos præbebant, quod indignum sua  
majestate putabant, terram pedibus contingere: quod sese  
adorari patiebantur, quod Deorum progeniem sese esse pu-  
tarent. tum exēpla

XIV. Talis hodiè censeari potest Turcarum Imperator,  
cujus legibus cautum, ne quis omnino dominatum affectet, aut  
ullius prædij dominum se dicat, præter Pontificem maximū:  
quod & familiarum dominus est, dum ex quavis familia

B

tertius



tertius adoptatur Filius in militiam, quod nulli principi, vel urbi, vel Regi victo dignitatem & possessionem relinquit, quod tamen à Romanis factum, qui pacem dabant de bellatis hostibus, nec eos pristinâ dignitate prorsus exuebant.

XV. Medius est dominatus inter Regnum & Tyrannidem. Ulti enim Dominus servos non intendit pessundare, cum sciat servorum perniciem tracturam secum totius domus ruinam: nec tamen eos primaria curat intentione, sed quia aliter ipse salvus esse nequit:

XVI. Ita Dominus nec evertit subditos, hoc namq; Tyrannorum est, nec eorum salutem primam habet: hoc namq; Regum, sed dum familiam suam intuetur, eamq; subsistere aliter non posse animadvertit, consequenter defleat curam suam secundario ad subditos, à quibus propterea redamatur.

Quartus  
Heroicum  
regnum

XVII. Quartus modus est Heroicus, ἀρχὴ καὶ τὰς ἡρωικὰς χρόνας, ἐκαστὸς τε καὶ πατέρων, γινωσκὴ καὶ νόμον, imperium, quale fuit heroum temporibus, voluntarium, paternum & legitimum.

XVIII. Derivantur Heroes ab amore, quod eos populi præ singulari amore propter divinas & eminentissimas virtutes sibi præfecerunt.

Quintus  
ἡ παμ-  
βασιλεία

XIX. Ultimus modus est ἡ παμβασιλεία, ἀρχὴ καθ' ἑνὸς βασιλεύς πατὴρ καὶ τὴν ἑαυτοῦ βάλησιν περὶ τῆς καὶ ἀρχῆς, imperium, in quo unus omnium rerum summam habet potestatem.

XX. Similis est isthæc regni species imperio Oeconomico, in quo pater familiæ omnium rerum plenissimam habet potestatem, & omnia ad familiæ utilitatem administrat.

XXI. Est q; παμβασιλεύς Rex quasi plenarius, αὐτοκράτωρ, administrationis suæ rationem nulli cogitur reddere. Habet verò ista regni species locum, ubi qui cives sunt ejusdem ci-

uitatis



vitatis, non sunt aequales, sed unus virtute ceteros omnes antecellit, quam longissimè, cui soli imperandi partes debentur, ceteros verò parendi manet necessitas.

XXII. Postulat namq; justitia, ut aequalia equalibus, inaequalibus tribuantur inaequalia.

XXIII. Diximus Regem talem esse αὐτοκράτορα, ἀντιστάσιον καὶ παγκρατορα, ergò nullus tenebitur legibus? haud ita est.

XXIV. Est namq; vir bonus, vel virtutis studium in eo quam maximè fulget: ergò secundum Dei, Naturæ & suas ex justo & aequo conditas leges imperaturus est.

XXV. Hic paucis quæstiones nonnullas, Regni naturam rectius declaraturas proponere opera precium visum.

XXVI. Nequit primò Monarchia inter duos dividi, reclamatur namq; ipsa vox Monarchia, quæ unius duntaxat designat imperium.

XXVII. Nulla namq; fides Regni sociis, omnisq; potestas.

Impatiens consortis: hinc Romæ

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Et uti tædæ socium non ferunt: sic nec ipsa potestas Regia.

XXVIII. Regum forsàn Lacedæmoniorum objicis exemplum: ubi bini ad Reipublicæ sederunt gubernacula: Regnum propriè dictum haud fuit: sed & licet paucissima ipsorum fuit potestas, de iis tamen literis proditum, quòd in unica saltem re semel concorditer senserint.

Quæstionū explicatio, quarum

Prima: An Monarchia inter duos esse possit? Negatur.



XXIX. Et si imperantes ex necessitate multiplicandi, satius tres quam duos Rebus publicis praefici: quorum triumviratus tam diu stabilis futurus, quam diu duorum simultates tertij autoritas represserit. Sed formam istam haud parum ad Aristocratiam vel Oligarchiam accessura.

Altera: An successio electioni praeferenda: ubi

XXX. An satius sit eligi Regem quam succedere, controversum? Hic primo notandum, quod ubi successionem confirmavit consuetudo & diuturnus usus, ibi omnino observanda: licet in Successore defectus aliqui deprehendantur: haud aliter ac leges constanter servanda, nec ulla earum immutanda facile: quod quae in statu suo, eademque manent, etsi deteriora sunt, tamen utiliora Reipublicae sunt his, quae per innovationem vel meliora inducuntur.

tum rationes tam pro electione.

XXXI. Pro electione faciunt: 1. quod per illam idoneus & optimus haberi poterit, cum successio saepissime offerat malum & ineptum.

XXXII. Non enim electores, quos praesupponimus prudentes & honestos viros esse, Reipublicae amantes, aliquem electuri sunt, nisi quem judicaverint dignissimum, in primis cum jure jurando ad id obligentur. Hinc Alexandri Magni factum commendatur, quod in agone rogatus, quem sibi successorem vellet, non de fratre Arideo, nec de Rexane pregnantem, nec de Hercule filio respondit, sed dignissimum sibi succedere iussit.

XXXIII. 2. Quod quibus ex successione debetur imperium, illi nunquam paruerunt; hinc aliis imperare bene haud poterunt. Hinc Trajanus regulam sui imperij vocabat: Talem me praestabo Imperatorem aliis, qualem optarem ipse privatus.

XXXIV. 3. Quod Reges patres raro animum ad rectam institutionem liberorum convertunt, puta qui aliis districti negotiis.

XXXV



XXXV. 4. Quòd Principum ingenia propter innatum aliquid superbū sæpè intractabilia sunt, ita ut institutionē admittere nolint.

XXXVI. 5. Quòd si sine posteris Rex moritur, ad electionem est confugiendum, qui itaq; non semper?

XXXVII. 6. Quòd sæpè impuberes filij supersunt, qui administrationis nondum capaces. Tutores præficiendos ais? sed & hoc sæpè periculosum, quòd tutores cum plena potestate dati, cum superiorem non agnoscunt, facile ad se trahere solent summam potestatem.

XXXVIII. 7. Quòd Nepotes ex filiis relictī magnas ita Reipublicæ turbas dabunt, cum quilibet summæ rei præfici cupiet.

XXXIX. 8. Quòd si proles mascula nulla est, superstite Fœmina, inter hanc & patruos nascuntur controversiæ.

XL. 9. Quòd imperaturus omnibus, eligi debet ex omnibus, nec summæ potestatis heres tantum intra domum querendus, sed is proximus & conjunctissimus existimandus, qui optimus & DEO simillimus.

XLI. 10. Quòd Rex in officio ita continebitur, si sciat, sibi à malè administrato abeundum esse imperio.

XLII. Pro successione facit: quòd hīc nullum datur interregnum; ubi quæ mala oriri solent, notissimum: quòd Heredum, quorum quilibet Solus Reipublicam administrare cupit, contentio Reipublicæ quammaximè perniciosa: quòd multi principatum ambire possunt, qui cum aequales sint, vel se esse putant, omnes sunt eligendi, vel si uni cæteris neglectis Reipublicæ cura demandatur, contentiones facillè suboriturae sunt.

XLIII. Atq; hæc sunt rationes pro utraq; parte: in Electionem tamen Politici videntur magis inclinare: quòd interregnum facillè averti potest, si certus quidam in Imperio

quàm pro  
successione

tum Politi-  
corum sen-  
tentia



designetur, qui, dum alius princeps eligitur, interim Rempubli-  
cam administret: uti apud Germanos negocium administran-  
di Imperium mortuo Imperatore datum est Comiti Palatino  
& Duci Saxonie.

XLIV. Quòd seditiones in electione novi Regis incidere so-  
lita, leviora sunt mala, quàm quæ à pravo Rege expectanda:  
cùm breviter expediuntur & desinant in tranquillam pacem,  
sub malo verò Rege perpetuò malè vivitur.

XLV. Quòd electionem bella comitantur per accidens:  
non enim semper insequuntur.

XLVI. Ita tamen electio præferenda, ut si in stirpe occur-  
rat quidam Regno dignus, is non excludatur: cùm sic conten-  
tiones ex malâ hominum persuasione de jure successionis nate  
vitentur: cùm gratia ita reddatur patri benè merito, cùm  
pater ad regnum diligentius administrandum instigetur: cùm  
homines magis obtemperare soleant natis ex illa stirpe, cui jam  
per consuetudinem didicerunt obedire.

Tertia  
quis succe-  
dere debeat?  
an Primo-  
genius.

XLVII. Ubi verò Successio invaluit, queritur, cui debeat  
tur illa? Primogenitum præfert jus gentium: quòd & in  
privatis hereditatibus primogenitus melioris secundùm jus Di-  
vinum Mosaicum est conditionis: quòd Regna non dividen-  
da ad instar privatorum bonorum, idq; favore utilitatis publi-  
cæ: quòd primogenitura dignitas quedam est, cui Regni  
successionem inniti omnes ferè Gentes credunt.

XLVIII. Sed quæ cæteris fratribus prospicietur? honorifica  
ipsis decernatur sustentatio, non ex more Abyssinorum inclu-  
dantur arci firmissima licet regiè alantur, quod ita in carcere  
perpetuò quasi ipsis vivendum: non ex Turcarum instituto è  
medio tollantur: crudele namq; istud & Reipublica pernicio-  
sum futurum, dum is, qui sibi moriendum sciat, omnia per fas  
& nefas molitur, ut aut non moriatur, aut ne moriatur in-  
ultus.

XLIX.



*XLIX. Quid si primogenitus moritur, priusquam Regnum adierit, vivo patre, relicto Filio vel Fratribus, utri in successione primi sunt? maxima hic controversia: Patrum instituta Rerum publicarum plurima praferunt: Pro Nepote est, quod Patrem representat, cum Filius subeat gradum Patris, & Avo quasi agnascatur, in quibus omnia Patris jura subeat, & eadem sit persona cum Patre: Primogenitus vero ad huc vivo Patre habet jus succedendi: quod Filius ex parte est dominus paternorum bonorum.*

*Quarta,  
an si primogenitus vivo patre moritur, Patrus vel Nepos succedat?*

*L. Quid si ante adeptum Regnum patri nascitur filius, iterumque alius post adeptum, uter praferendus? Primogenitum etiam ante adeptum Regnum censent praferendum; quod quacumque pater acquirit bona, non magis nascendis acquirit, quam natis: quod liberos ad hereditatem in articulo mortis aestimatam admittit natura simul & parentum commune votum. Hic tamen probe notandum illud, quod per leges imperii statutum, cum ab illis non recedendum.*

*Quinta,  
an primogenitus ante Regnum a patre acceptum?*

*LI. Sed num foemina in regno successura? ita si in regnis nonnullis observatum, ab illa consuetudine non recedendum.*

*Sexta,*

*LII. Rem vero si penitius considerare voluerimus, foeminae simpliciter ad rei gubernacula haud eligantur: quod ad parendum, non vero imperandum nata; destituuntur namque prudentia & consilio, nec exempla foeminarum prudentum, quae rara, obstant: quod taciturna non est, sed in illam recte illud convenit: Plena rimarum est, hac atque illac diffluit; quod corpore est imbecilliori & molliori, quam ut officia publica administrare possit: hinc intra tectum manens lanificia curet: quod*

*an foeminis successio competat?*



quòd servile est, femineo jugo collum subdere: quòd tale imperium à viris contemni solet, sed imperio nihil magis detrimens, quàm contemni: quòd gynæcocratia plurimis populis exosa.

LIII. Sed & si innupta manet regina, vel etiam nubit, difficultas adhuc haud levis oboritur.

LIV. Quod si innupta manet, difficile est, pudorem illibatum servari ab eâ, cui impune est, quidvis facere: sed & licet continentissimè vivat, suspicionem tamen non semper effugiat, quod in nostra manus non est, suspensiones hominum prohibere.

LV. Sin vero nubit, aut totum imperium transfert in maritum: sedita Dominus obtruditur alienus: aut totum sibi retinet: sed quis facile ducturus talem: cum turpe sit, imperium ferre muliebri, aut cum marito dividit: sed & hic regni divisio subditis detrimentosa futura, qui gemino premuntur imperio.

LVI. Sed & quis hanc uxorem ducturus? non inferior, quod hic tam à subditis, quam regina contemnetur: non peregrinus; quod illum subditi egre laturo: non superior, hac enim ratione, si superiori nuberet, sese summam potestate esset privata.

Septima, An  
spurii suc-  
cedere pos-  
sint?

LVII. Sed quid de spuriiis vel naturalibus liberis sentiendum? excluduntur. quod in privata hereditate succedendi locus spurio non datur: quòd naturalem tantum cernit hereditatem: quod principis personam convenit, esse magnificam, qualis non est spurius, cum matri illustri non succedat. Regno & dominatu, qui quam proximè ad regnum accedit, explicatis, sequitur Tyrannis à regno quam longissimè discedens.

Regno op-  
ponitur Ty-  
rannis.

cujus tum  
nota.

LVIII. Tyrannis est μοναρχία τοῦς τὸ σὺμφέρον τῆς μοναρχίας & ἀποβλέπεται imperium unius, qui omnia ad suam privatam commodum refert.

LIX. Nota ejus propria, boni publici subversio, habita tantum ratione sui commodi. Non

Non



LX. Non enim qui per vim civibus imperat, statim Tyrannus audiet: modò publici boni rationem habeat, licet talem vulgus titulo tyrannum appellat.

LXI. Nec ob quævis vitia privatæ tyranni nomen quis meretur: quòd illa tyranni naturam non constituunt: puta quòd persona publica est, & ex publico officio æstimandus.

LXII. Est itaq; primaria nota Tyranni, suum tantum spectare commodum, publico bono neglecto.

LXIII. Hinc conservandæ tyrannidis duo proponuntur modi, quorum unus mitior & lenior, vel magis Regius; alter admodum durus, barbarus & crudelitatis plenus.

LXIV. Ad priorem pertinent 1. habere delatores omnium eorum, quæ cives inter se loquuntur & agunt, ne quid adversus Tyrannum possint moliri. 2. discordias & lites inter cives serere: hinc namq; nulla Conspiratio ipsi metuenda 3. subditorum opes imminuere: tum si opera publica subditorum opibus & laboribus perficienda imponit, tum si magna tributa & vectigalia illis imperat, ne vel insolentes efficiantur, vel occasionem movendarum seditionum habeant: 4. Subditos bellis adversus vicinos fatigare: 5. Non nimium amicis confidere: 6. Uxoribus & servis suis summam licentiam permittere. 7. Adulatorum & hominum improborum gaudere consortio. 8. Amicos sibi asciscere homines humiles, abjectos & peregrinos, à quibus non possit sibi aliquid mali metuere.

LXV. Ad Alterum modum referuntur sequentia: 1. Viros virtute claros deprimere; vel si nimis generoso & magno animo præditi sunt, & Tyrannis adulari aut servire neq; velint neq; possint, eos è medio tollere. 2. Civibus nulla convivia publica aut collegia concedere: 3. Scholas & juventutis institutionem prohibere. 4. Cives inter se ignotos reddere. 5. Subditos assuefacere, ut se servos esse cogitent, & ideò humiliter de seipsis sentiant.

C

LXVI.

tum con-  
servandæ  
ratio vel

mitis

vel crudelis.



tum miseria  
summa

LXVI. Est verò Tyrannorum vita miserrima: quòd tum impium est per injuriam aliorum stabilire principatus: quòd crudelitas tyrannidem haud præstat salvam, cum augeat odia hominum, per quæ plerumq; pereunt tyranni: quòd successorem suum nemo interimit.

LXVII. Sed & in ipsa mente aspicit Tyrannus laniatus & iectus, quando ut corpora verberibus, ita sævitiâ, libidine, malis consultis animus dilaceratur.

LXVIII. Tandem nec post fata ullus est locus, vel ullum tempus, quo funestorum principum manes à posterorum execrationibus conquiescant. Nec illorum qui Tyrannorum vitam alius conspiciendam scriptis suis præbent, ingenii punitis, sequentis ævi memoria extinguitur: sed potius gliscit autoritas, neq; aliud Reges aut qui eadem sævitiâ usi sunt, nisi dedecus sibi, atq; illis gloriam pepererunt immortalem.

Altera Rei-  
publicæ  
species est  
Aristocra-  
tia, cujus

LXIX. Atq; hæc fuit Regni, nec non Tyrannidis regno oppositi natura: sequitur altera legitima Reipublicæ species, Aristocratia videlicet, & illi adversa Oligarchia.

## MEMBRUM SECUNDUM.

I. Estq; ἡ ἀριστοκρατία ἀρχὴ πλειόνων πρὸς τὸ κοινὸν συμφέρον διπολέπεια, imperium plurium, quàm unius, ad communem utilitatem spectans.

Finis

II. Finis idem est, qui Regno propositus, publica videlicet salus, vel quod omnibus è re futurum.

Subiectum

III. Subiectum sunt pauci, vel plures quàm unus virtute præditi; quo differunt ab oligarchicis, qui nobilitate aut divitiis nituntur.

IV. Virtute namq; imperandi jus estimandum potissimum, quòdejus tanta est præstantia & dignitas, ut meritò ipsa sit verus terminus, quo verum & legitimum imperiũ circumscribitur

bitur



bitur & continetur: quæ itidem in Principe vel Rege imprimis necessaria est.

V. Est namq; virtus tum mensura & regula, secundum quam omnium rerum, maximè verò actionum humanarum bonitas & perfectio estimanda: tum plurimum confert ad beatitudinem, in actionibus virtutum consistentem, tanquam finem civitatis principalem.

VI. Enumerat verò Philosophus quatuor Aristocratia Gradus  
gradus: unus est, quando solius virtutis in mandandis ma- quatuor:  
gistratibus habetur ratio: Est q; hæc propriè sic dicta à qua cæte- primus  
ri abeunt: & hîc una eademq; est virtus viri boni & civis  
boni quod in hac Reipublicæ specie tantum secundum virtu-  
tem vivendum, in aliis verò is boni civis nomen meretur, qui  
secundum leges, licet ille virtuti sæpè haud parum sint adver- secundus.  
sæ, vitam conformat. Alter modus est ubi præter virtutem  
aliqua divitiarum & nobilitatis habetur ratio.

VII. Tertius, ubi virtus, divitiæ & populi libertas spectan- tertius.  
tur.

VIII. Quartus ubi virtutis & libertatis populi in mandan- quartus.  
dis magistratibus habetur ratio.

IX. Sed & divitiæ & nobilitas ad Oligarchiam spectant non itaq; aristocraticum efficient statum: ea parte ad oligar-  
chiam equidem declinant, verum ab eadem tamen differunt,  
quod non privatum sed publicum spectant commodum.

X. Oligarchia est ἀρχὴ πρὸς τὸ συµφέρον ὀλίγων, ἔτ' ἐστὶν ὀλιγῶν ἀποβλέπουσα, imperium paucorum divitum, omnia ad  
suam utilitatem referentium. opponitur  
illi Oligar-  
chia cujus

XI. Ab Aristocratia differt, quod privata imperantium  
utilitas hîc regnat.

XII. Subiectum sunt pauci divites, qui quatenus no- Subiectum  
bilitate, divitiis, & potentiâ cæteris sunt superiores, igitur



*simpliciter se superiores esse arbitrantur; hinc jure sibi vindicare videntur imperium.*

*XIII. Verum falluntur plurimum, quod alias democratici itidem simpliciter essent aequales, puta cum libertate iis, qui imperant, sint pares.*

gradus qua-  
tuor,  
primus. *XIV. Enumerantur verò à Philosopho quatuor ejus gradus. Unus, quando ad Magistratus iis patet aditus, qui mediocres habent facultates, ut citra jacturam rei familiaris vacare & Rempublicam secundum legum præscriptum administrare possint.*

secundus. *XV. Alter, ubi major census præfinitus est, ac electio fit per oligarchicos ex certis familiis, ubi legum præscriptum viget.*

tertius. *XVI. Tertius, ubi adhuc major census præfinitus est, ac successio est ex lege hereditaria, filij videlicet in locum patris.*

quartus. *XVII. Ultimus gradus est, quando ij tantum ad Rempublicam administrandam aspirare possunt, qui maximas possident facultates: ubi jure quodam succeditur hereditario & quia amicorum potentia nimium valet, non tam secundum leges, quam ex suo arbitrio regunt & administrant Rempublicam.*

### MEMBRUM TERTIUM.

Tertia Rei-  
publice spe-  
cies est Poli-  
litia, cujus  
cognoscendi  
*I. Aristocratiam tandem sequitur ἡ πολιτεία in specie sic dicta; quæ μίξις τῆς ὀλιγαρχίας καὶ δημοκρατίας.*

*II. Legitima est Reipublica species: cui democratia opponitur.*

*III. Verum quæ legitima futura, cum ex duabus vitiosis Oligarchiâ & Democratiâ componatur? finis ratione, quod publicum hic ab iis, qui ad Reipublica gubernacula sedent, qui tum oligarchici, tum democratici sunt, attenditur commodum & emolumentum.*

*IV. Verum mixtio ejusmodi Aristocratiam efficiet, quod penes divites est imperium? vulgus ita opinatur, cum existimet*

*met*



met divites melius educari, quam pauperes: nec facile ad scelus aliquod perpetrandum pecuniâ corrumpi posse: sed & idem accidit; quod sæpè plures sunt divites, quam pauperes in Magistratu: inde tamen nulla vel Oligarchia, vel Aristocratiâ futura: quòd soli divites vel viri boni Reipublica tantum præficiendi essent.

V. Commiscentur verò Oligarchia & Democratia tribus modi tres. modis: primo, cum ex utriusq; formæ legibus & institutis primus. quadam deliguntur.

VI. Secundo, quando medium inter excessum & defectum secundus. utriusq; formæ Reipublicæ sumitur.

VII. Tertio, quando pars aliqua ex lege Oligarchica, pars tertius. vero aliqua ex lege Democratica sumitur.

VIII. Proba verò mixtio facta, tum quando dubium, judicium probæ mi- xtionis utrum illa forma Reipublicæ sit Oligarchica, an verò Democratica: tum si Respublica, quæ ex ipsa mixtura est constituta, tota simul considerata, repræsentat utramq; formam, secundum partes verò, neutra possit actu à forma altera separari, ita ut ipsa Reip. forma maneat salva: tum si ex illa commixtione ejusmodi Reipublicæ forma est effecta, quam ipsi cives maxime amant, nec meliorem aliquam requirunt.

IX. Politia opponitur Democratia, quando omnibus in opponitur illi demo- cratia, cujus Republica magistratum gerere licet: & quia pauperes plures sunt, quam divites, ideo dicitur imperium  $\omega\epsilon\gamma\varsigma$  τὸ  $\sigma\upsilon\mu\phi\acute{\epsilon}\rho\epsilon\upsilon$  τῶν  $\lambda\acute{\iota}\pi\omega\upsilon$  ἀποβλέπασα, ubi pauperum commoda potissimum spectantur.

X. Nititur hæc Reipublicæ species vitiosa non virtute, uti Regnum & Aristocratiâ, non divitiis & nobilitate uti Oligarchia, sed libertate & æqualitate omnibus in illa Republica viventibus competente.

XI. Gradus à Philosopho enumerantur quinque: Unus Gradus quinque, primus, quando tam civibus, quam inquilinis, ad Reipublicæ secundum leges



*leges administrationem patet aditus: ubi ratum illud solummodo, quod pluribus secundum leges placuerit.*

secundus. XII. Alter est, ubi censum legibus praefinitum habentibus licet Magistratum capeffere.

tertius. XIII. Tertius, ubi nulli ignominia aut macula notati ad honores admittuntur publicos.

quartus. XIV. Quartus, ubi omnibus veris civibus, hoc est, liberis, quibus ocium est, Rempublicam secundum legum praescriptum administrandi datur facultas.

quintus, qui  
peffimus. XV. Ultimus, quando omnibus, etiam pauperibus, qui vacare possunt Reipublica administrationi ob mercedem, quam a publico capiunt, honoribus publicis fungi licet: & ubi omnia ex arbitrio promiscuae multitudinis, non vero ex legibus pendent.

XVI. Estque hic ultimus gradus omnium deterrimus: tum quod a malis hominibus puta Demagogis populi adulatoribus & Sycophantis vel calumniatoribus introductus: quorum illi suis blanditiis populi gratiam venabantur, ut ipsi interim autoritate populi munitis suam in Republica potentiam paulatim auferent, donec dominatum in Republica sibi obtinerent: hi vero Magistratum apud populum calumniando, quasi multa injuste & contra populi libertatem fierent, seditionibus, quibus populus imperium ad se traheret, causam praebant.

XVII. Tum quod Tyrannidum similis est: quod uti Tyrannus solus & pro suo arbitrio imperat, ceteris etiam melioribus: ita populus nimiam potentiam nactus omnibus aliis, etiam melioribus imperat, & nova pro arbitrio decreta in legum abrogatarum locum substituit.

Rerumpublicarum inter se collatio, ubi  
XVIII. Tum quod non tam Politia, quam anarxia est: quae enim Respublica futura, ubi nulla legum autoritas?

XIX. Rerumpublicarum species haecenus proposuimus: jam collatio illarum inter sese ultimo notetur loco.

Regnum ceteris praefertur.  
XX. Regnum prima & potissima Reipublica species a Philosopho-

loso-



Philosopho statuitur: undè & Philosophus ad unitatem DEI  
argumentatus est: quòd in DEO, quòd optimum, videlicet u-  
nitas, ponendum: putà quòd melius unum, quàm multos mun-  
do præesse: quòd vetustissima est: quòd natura ipsam quasi  
monstravit: quòd commoditates majores & plures, quàm ex  
ceteris, habentur: cùm unus Rex à se dissentire non possit: se-  
cus verò in Aristocratiâ & Politia sese res habet: cùm unius  
principatus à bellis & dissidiis liber esse soleat, cùm consilia li-  
ceat habere secreta, cùm quæ ab uno curantur, rectiùs expedi-  
antur, quàm quæ à pluribus.

XXI. An mixta detur Respublica, haud immeritò quaritur? Quæstio,  
An mixta  
detur Res-  
publica, ubi  
non hîc intelligimus gradûs cujusq; Reipublicæ speciei: quòd  
Aristocratiâ, ut & Oligarchiâ quatuor, Democratiâ verò  
quinque sunt gradus: ibi namq; penes unum genus hominum  
summa residet majestas: sed an diversarum conditionum ci-  
ves de juribus majestatis vel summa potestate participare possint.

XXII. Datur illa & ex Philosophi sententiâ, quando Poli-  
tiam mixtam esse asserit, ex Oligarchiâ & Democratiâ: sed  
hæc forsân propriè mixta non dicetur, cum penes Oligarchicos  
& Democraticos omnis resederit summa potestas, quibus ex æ-  
quo illa competit.

XXIII. Mixtionem hîc triplicem faciunt: unam quan- mixtio tri-  
plex notan-  
da:  
prima,  
do universa jura ad summam potestatem pertinentia singulis  
tribus statibus, hoc est, Regi, optimatibus, & reliquo populo,  
vel duobus communicantur. Verùm talem existere posse ne-  
gant: sed Politia in specie Aristoteli sic dicta talis videtur?

XXIV. Alteram, quando idem jus majestatis pluribus sta- secunda,  
tibus, non conjunctim, uti in priore, sed diversim commu-  
nicatur, sed alio atq; alio modo: veluti quòd olim in Republica  
Romana apud Patres in autoritate, apud populum in pote-  
state consistebat majestas: quòd lex à populo lata non prius ra-  
ta censeretur, quàm patres autores fierent.

XXV. Verùm quia talis majestatis divisio admittit omnes  
cives



*cives, licet alia atq; alia ratione, mixtionem non efficit, sed popularem statum relinquit.*

tertia.

*XXVI. Tertia est, quando diversa majestatis jura diversis statibus attribuuntur.*

Datur Ref-  
publica mi-  
xta, cujus  
exemplum  
Respubl.  
tum

*XXVII. Talis jam datur: quod totam quidem & universam summam potestatem pluribus communicari impossibile: partes vero ejus pluribus attribui nil prohibet.*

*XXVIII. In tali Republica in singulis quidem statibus particula est majestatis, in toto vero corpore summa & plena majestas ex concursu partium suas majestatis particulas in unum comportantium resultans.*

Spartana,  
quæ partim

*XXIX. Sic Respublica Spartanorum fuit Aristocratica & Democratica.*

*XXX. Sed Reges ibidem fuerunt, inquires? Regum nulla ibi potestas, nisi quando extra regionem bella gerebant: sed nec dignitas magna.*

Democrati-  
ca

*XXXI. Democraticum fuit, quod populus creandi, quos vellet Magistrato, potestatem habebat. Hinc Ephori plebis Magistratus à Regibus singulis mensibus se juxta leges gubernaturos, jusjurandum exigebant: hinc illi mulctandi, in Magistratu constitutos abrogandi & in carcerem conjiciendi habebant potestatem.*

partim Ari-  
stocratica,  
tum Roma-  
na, quæ mi-  
xta ex Mo-  
narchia &  
Aristocra-  
tia, ubi ta-  
men illa  
hanc præ-  
ponderat.

*XXXII. Aristocraticum est, quod Magistratibus judicia & annua successio, Senatui tum legum custodia, tum decernendi, largiendis gratificandi, in nonnullis quoque de vita & morte judicandi competebat potestas.*

*XXXIII. Quem hodie Reipublicæ Romanæ statum dicemus? mixtum ex Monarchia & Aristocratia: quod jura Majestatis cum Statibus vel Ordinibus Imperij sunt communicata: licet certa quedam in signum supremae eminentiæ imperatori sint reservata.*

*XXXIV. Et qui jura majestatis non ordinibus communicarentur, cum nullus Reipublicæ Romanæ præficiatur, nisi is in capitulationem vel leges præscriptas juraverit?*

Doctis.



# Quæstio I.

Quomodo Politica doctrina à doctrina Evangelii differat?

*Quamvis nonnulli teste Dn. Philippo in Comment. Polit. somnient doctrinam Evangelii nil aliud esse, quàm doctrinam Politicam, juxta quam Civitates sint instituendæ; tamen benè notandum, maximam inter utramq; doctrinam esse differentiam. Nam 1. differunt causa efficiente: quod Evangelium doctrina tantummodo est divinitus revelata: Politica verò doctrina ab hominibus doctis, naturalis rationis & experientia beneficio extructa. 2. differunt effectis seu finibus: Evangelii finis est spiritali; Politicæ verò naturali mederi defectui. 3. differunt objectis: Ad Evangelium pertinent res divinæ & ad hominis salutem æternam spectantes; ad Politicam verò referuntur res humana, quæ ab hominum libero dependent arbitrio.*

## II.

An aliquis possit esse Politicus qui non sit  
Jurisconsultus? Aff.

*Quamvis enim quispiam perfectam omnium virtutum notitiam adeptus est, & simul intelligit, quomodo eas ad publicum bonum accommodare debeat: nisi tamen præterea legum certæ alicujus Reip. puta à Solone, Justiniano &c. latarum cognitionem & eas rectè interpretandi, ampliandi, limitandi & quæ à legislatore sunt omissa supplendi habet facultatem, Politicus sanè ille futurus sed non Jurisconsultus: cum Jurisprudencia in legum certæ alicujus Reip. cognitione,*  
D inter-



*interpretatione, ampliatione, limitatione, & suppletione unice consistat, h. e. Jurisconsultus ad Politicum tanquam inferior ad superiorem sese habet: cum ille circa omnium Rerump. naturam & essentiam; hic vero circa certam tantum Remp. puta Romanam, Atheniensem &c. sit occupatus.*

### III.

*An excellens Jctus quis esse possit, qui non simul fuerit Ethicus vel Politicus?*

*Negatur.*

*Quia Jurisprudentia tanquam specialior doctrina Ethicæ & Politicæ tanquam magis generalium disciplinarum cognitionem presupponit: cum impossibile sit speciem perfecte cognosci, si non genus fuerit cognitum: si namq. is, qui leges tenet, quibus felicitas publica & salus civitatis continetur, & scit eas interpretari, extendere coarctare, & usu exigente defectum earum supplere, variisq. hominum negociis ita accommodare, ut eas semper ad naturalem rationem & honestatem referat, veri Jcti nomen meretur: Certè etiam nosse oportet, qua ratione virtutum usus ad communem Reip. utilitatem conferatur. Sed id ipsum cognoscere nequit sine virtutum ipsarum cognitione: cum lex vim cogendi in se continens omnium virtutum, quatenus ad publicum bonum diriguntur, describat officia, & prohibeat vitia ipsis contraria. Hinc rectè Cicero Jurisprudentiam non ex Prætoris edicto, vel legibus 12. Tab. sed ex intima Philosophia vel hominis ratione petendam rectè censet.*

*Doctif-*






*Doctissimo Domino Respondenti.*

**D**iceris, ac meritò *Wieder*, quia convenit istud  
 Nomen cum Rebus, quas facis eximiè,  
 Quid? contra cautos te opponis rite *sophistas*  
 Atq; *Trophæa* capis *Palladis* auxilio,  
 Exemplo est præsens tua dissertatio claro,  
 Quam bene defendis *Præside Preibisio*.  
 Maçte igitur contra doctos pugnato *sophistas*,  
 Sed non *Martis* opus quin erit artis opus.  
 Hinc honor ex onere, hinc *Phæbus* tibi *Castali-*  
*desq;*  
*Nymphæ* pro meritis *laurea* ferta dabunt.

Hæc singularis adfectus ergò  
apponebam

*Christophorus Crusius*  
*Prutenus.*



**H**eroum ut virtus fulget quaesita labore,  
 Sic hominum extollit cætera gesta labor.  
 Hoc quàm *V Videras* rectè sapuisse videtur,  
 Ardua non trepidus qui modò cepta subit:  
 Ingenio dum digna suo jam prælia querit,  
 Signifero ductus *Præside Preibisio*.  
 Res bona. *Segnis* agon rarò mihi crede triumphat,  
 Nec bellum illustres reddit inerme viros.


D 2 Ergò



*Ergò virum præsta, propulsa spicula falsa,  
Quæ vestras tentant debilitare theses:  
Pugna, sed cautè, constanter, fortiter aude  
Sic VViderorum nobile sidus eris.*

*Amico Amicus faciebat*

Bartholomæus Mariæ-  
burgerus Boruf.



**C**ontendis celeri, *VVidere*, ad *Palladis* ædes  
Gressu, constanter pergito: Victor eris.  
Ne studiis gravibus, curis nec frangere, digna  
Præmia jam cernis: te sacer ambit honos.

deproperab. Lipsiæ

*Johannes Scholtz Svidn.*  
*Silesius.*

F I N I S.





Philosoph  
695



